

27 Non etiam obstat, quod talis institutio videatur captiosa, & ab alieno pendere arbitrio; nam huiusmodi dispositio proprie captatoria non est, nec minus ex eis, quæ iure prohibentur. Eleganter Méchaca *li. 2. de success. creat. §. 17. n. 55.* ubi argumentatur ita: non solum valet illa institutio, quam quis ad nullus petitionem, sed ultro fecit, verum, & illa valet, quam quis facit ad petitionem, seu interrogationem alterius, *l. fin. ff. C. si quis aliquem testari prohibuerit*, quæ institutio licet re vera non nihil captionis habere videatur, tamen, vel talis captio nulla est attentata iuris censura, vel adeo levis est, ut obesse non possit, nec debeat, *l. captatorias, ff. de hered. instit. vbi Consultus ait, captatorias institutiones non eas Senatus im probavit, quæ mutuis affectionibus iudicia provocaverunt.* Hic ergo fatetur Consultus captatoriam esse talem institutionem, verum ob id non infirmari, ex eo quod talis captio, vel nulla est, vel adeo levis ut obesse non debeat. Sic ergo in specie nostra si quid est, quod huic testamento obesse videretur, illud est, quod ad petitionem,

vel interrogationem alterius factum est, per quod captiosa videbatur dispositio: sed huiusmodi captio adeo levis est, ut obesse non debeat. Aliquando enim in voluntate, & arbitrium tertij committitur dispositio, & nihilominus valida est iure communi, ut quando committitur nominatio, vel electio alicuius incerti de certis, *l. vtrum, §. cū quidam, ff. de rebus dubijs, l. pater ex provinc. 22. ff. de manumij. vindicta, l. cū quidam. 24. ff. de legat. 2.* Et in alijs casibus de quibus Tauristæ *in l. 31. Tauri*, Matienzus *in l. 5. tit. 4. lib. 5. Recopil. gloss. 1. 2. & 3.* Azvedus *ibidem num. 14. & 15.* Rodericus Suarez *in tit. de captatorijs voluntatibus.* Sarmiento *lib. 2. selectar. cap. 4. & 6.* Covarrubias *in cap. cum tibi de testamentis num. 1. & 2.* vbi Barbosa *in collectanea plures* refert, Méchaca, §. 17. *ex num. 82.* Michael Grassus, §. *institutio quest. 18.* Segura *in repetit. l. cohæredi, §. cum filia, ff. de vulgari*, Petrus Pechius *de testamentis coniugum lib. 1. cap. 12.* Peregrinus *de fideicommissis art. 33. ex n. 31. cū seqq.* Castilo *lib. 2. cap. 6. n. 25. & 26.* Carpio *de executorib. testam. lib. 1. cap. 19. nu. 12. & lib. 2. cap. 7. n. 32.* Can-

Cancerius *lib. 3. varian. c. 20. num. 99.*

30 Rursus dicta dispositio, & modus testandi ad interrogationem alterius nihil captionis habet, nec voluntas aut institutio captatoria potest dici, quia licet communiter voluntas captatoria esse dicatur, qua quis alterius hereditatem, aut legatum captat, aut quodcumque lucrum ex alterius morte iuxta Alciatum *lib. 2. Parergon c. 31.* malè tamen tripliciter exponitur à Doctoribus, cum primo captatoriam voluntatem esse dicunt, quæ confertur in alterius voluntate, ut puta, instituo Titium si Seius voluerit; ex eo quod institutio huiusmodi iure reprobat, *l. illa institutio, ff. de hered. instit.* Et ut secundo exponit Accursius *in d. l. captatorias*, in eo, qui commisit alteri nominationem heredis dicens, instituo heredem, quem Titius voluerit; tertio cum quis alium instituit spe reciproce institutionis, ut instituo te heredem si me institueris, *l. illa autem, ff. de hered. instit.* Erravit quippe Accursius, & communis Doctorum schola in huiusmodi distinctione, & captatoriæ

voluntatis expositione. Solū enim est captatoria voluntas, cuius conditio ad secretum alienæ voluntatis confertur, ex Papiniano *in d. l. captatorias 70. ff. de hered. instit.* tenet Cuiacius *lib. 17. observat. c. 11.* Constantius Harmenopolus *lib. 5. epitomes c. 8.* Anton. Augustin. *lib. 4. emendat. cap. 15.* Corrasius *Miscellan. iur. lib. 5. cap. 13.* Conanus *li. 10. cōment. c. 6. n. 5.* Costa *selectar. li. 1. c. 7.* Sarmiento *lib. 2. selectar. c. 4. n. 1.* Ossualdus *ad Donellum lib. 6. cap. 19. lit. F.* Castillo *lib. 2. cap. 6. n. 3. & 4.* Cancerius *lib. 3. var. cap. 20. n. 91.* Covarr. *in d. cap. cum tibi n. 2.* Ioannes DecKheri *lib. 1. dissert. 1. n. 3. & dissert. 7. n. 2.* ut puta, quando persona captatur per institutionem, aut per legatum, ut vicissim, vel hereditatem, vel legatum testatori ipsi, aut alteri contemplatione testatoris relinquat, *d. l. captatorias 70. l. illa 71. ff. de hered. instit. tuend. l. 1. ff. de his quæ pro non script. habent.* in hunc modum *Titius si me heredem instituerit, heres esto: vel ita, Titius si Mævium heredem scribet heres esto:* hæc solum dispositio verè captiosa est, quia facta est voluntate, & animo captandi alienam hereditatem, & lu-


lucrum, quo sensu in Basilicis institutiones Captatoriae dicuntur gratiae repensatrices, scilicet factae repensandi futuri nondum accepti beneficii gratia, quemadmodum observavit Cuiacius lib. 6. respons. Papiniani ad l. Captatorias, dispositio vero in alterius voluntatem collata, ideo iure prohibita fuit, non quia captiosa fuisset, sed quia iudicarent Consulti, testamentorum iura per se firma esse oportere, nec ab alieno pendere arbitrio. Unde cum dispositio testatoris ad interrogationem facta a suo tantum dimanet arbitrio, liberum enim illi est testari, vel non heredem instituere eum, de quo interrogatus est, vel non instituere, nihil captiosis huiusmodi institutionem habere dicendum est, & validam fore omni cessante fraude in interrogatione, iuxta praedictam communem opinionem.

Denique non obstat ratio tradita supra num. 11. pro contraria opinione, nam licet iuris expressa decisione cautum non sit, testameta huiusmodi valere, tamen communi Doctorum assensu ita recep-

tum est; quare, & si lege expressa testandi haec forma introducta non sit, nihilominus valere debet ex rationibus, quas in illius comprobationem congerunt Doctores; nec in eo fraudibus aperitur via, fraude imò interveniente nullius roboris erit dispositio, ut dicitur infra cap. seq. num. 14. & quod haec opinio secure teneri possit, licet lege expressa casus decisus non sit ex eo etiam demonstratur, ut obiectioni integre satisfaciam, quia non est necessarium legem allegare ubi ratio allegatur. Thom. de Thomaeset. in florib. legum, regula 109. Et etiam, quia tot Authoritates maiorum non sunt improbandae, l. Iulianus, ff. de iudicijs, l. ad exhibendum, C. ad exhibendum, & expressum dicitur a lege, quod maiorum Authoritate firmatur Ioseph de Sesse, decis. 310. nu. 7. & denique, quia haec est opinio Glossae, cuius autoritas praevalet inter opiniones, & qui adheret ei nunquam erravit. Gutierrez de matrimonio cap. 44. num. 59.

Cevallos in Praefat. ad practic. ex num. 61. cum seqq.

CA-



CAPUT XXI.

DE AMPLIATIONIBVS ET LIMITATIONIBVS ad Glossam in lege iubemus, C. de testamentis, & de suspicionibus falsitatis, de suggestionibus, de furore, de metu, de testamento facto a moribundo, & de alijs, quae a Doctoribus latissime scripta sunt, hic tamen breviter, & in compendium reducuntur.

SUMMARIUM.

Conclusio contenta capite antecedenti ampliatur. 1. Etiam si ad privatae personae interrogationem testamentum conditum sit. 1. Limitatur si suspicio aliqua detur. 2. Ampliatur. 2. Etiam si notarius praesens non sit. 3. Et etiam si is qui interroget legatarius sit. 4. Limitatur si ab heredem fiat interrogatio. 5. Et a propinquis vel a persona suspecta. 6. Ampliatur. 3. Etiam si non constet testatorem testari voluisse. 7.

Limitatur si suspicio detur falsitatis. 8. Ampliatur. 4. etiam si a persona suspecta fiat interrogatio. 9. Ampliatur. 5. etiam si de toto testamento interrogatus sit. 10. Ampliatur. 6. Etiam si testator balbutiat. 11. Testamentum factum ad interrogationem tollit primum solemniter conditum. 12. Limitatur si dubitatur de eius valore. 13. Conclusio principalis limitatur. 1. Quando falsi suspicio adest. 14. Falsi suspicio in civilibus pro falsitate habetur. 15.

Sus-